spirituum multitudo | que desideria sua ultra gaudiorum suorum plenitudinem non extendunt |
Nunc felicitatis sue firmitatem vel incommutabilitatem comprehendere omnino non sufficit | Est autem
eorum gaudium non solum de contemplatione creatoris | sed etiam de contemplatione creaturarum eo-
rum quod deum mirabilem in omnibus operibus conveniunt | Ideo mirabiles ubique venerando
mirantur magnalia eius quem diligunt | Inveniunt utique non solum in creatura incorporali
Sed etiam in creatura corporali | quod mirantur et unde creatorem eorum venerantur | Hec ergo
omnia iugiter contemplantur contemplantes mirantur mirantes ~~letantur~~ letantur de divina con-
templatione | congratulantur de mutua visione | letantur in creaturarum corporalium speculatione.
Discamus et nos contemplantes mirari et mirantes contemplari quoniam illa superne
beatitudinis cives omnia que sub ipsis sunt indesinenter aspiciunt. Omnia quoque que ab alto vi-
dentur ratione et ordine comprehendunt | quo de mutua societate indissolubilique cari-
tate indefinite gaudeant | Quomodo in illam divine claritatis visionem insatiabiliter
exardescunt | nichil est iocundius | nichil dulcius gratia contemplationis | Quanto
amplius in celestium contemplatione delectaris | et delectando admiraris | tanto liberius
immoraris | tanto diligentius perscrutaris | profundius quoque illustraris | Semper enim in ve-
nies in illis quod mireris et unde delecteris | quanto copiosior tua admiratio et magis
quoque uberior causa delectandi. In hiis ergo semper sit tua admiratio. tua delectatio ne-
cnon et alia pro aliis queratur | et quoque varia hinc illinc quoque cogitatione cum agitatus discur-
reris. Deum namque cognoscere plenitudo scientie est | et plenitudo huius scientie plenitudo
glorie est | consummatio vere gratie perpetuitatis vite | Ad huius autem scientie pleni-
tudinem opus est intima cordis compunctione | quoque profunda investigatione suspiriis
quoque argumentis crebris gemitibus | quoque copiosis argumentationibus lacrimis | quoque fre-
quentius oratione | quoque lectione gratia lacrimarum | quoque studiis celestium potius
contemplatione | quoque terrestrium occupatione etc. ~~Deo laus~~ Tol:

Explicit Manuale beati Augustini de aspiratione
hominis ad deum | Deo laus et gloria seculo seculorum Amen

~~Incipit opusculum beati Francisci~~ Monitorium

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

Universis christianis religiosis clericis laicis masculis et feminis Omnibus qui
habitant in universo mundo ffrater franciscus eorum servus et subditus ob-
sequium cum reverentia pacem veram de celo et sinceram in domino caritatem
Cum sim servus omnium omnibus servire teneor et administrare odorifera
verba domini nostri Unde in mente considerans quod cum personaliter propter infirmitatem et
debilitate mei corporis non possim singulos visitare proposui litteris presentibus et nunciis
verba domini nostri ihesu christi qui est verbum patris vobis referre. Et verba spiritus
sancti que spiritus et vita sunt De verbo patris Istud verbum patris tam dignum tam sanctum
et gloriosum nunciavit altissimus pater de celo per sanctum Gabrielem angelum suum
in utero beate et gloriose virginis marie Ex cuius utero veram recepit humanitatis
carnem et fragilitatis nostre Qui cum dives esset super omnia voluit ipse in
mundo cum beatissima virgine matre sua eligere paupertatem Et prope passionem
celebravit pascha cum discipulis suis Et accipiens panem gratias egit et benedixit
et fregit dicens Accipite et comedite hoc est corpus meum Et accipiens calicem
dixit hic sanguis meus novi testamenti qui pro vobis et multis effundetur in
remissione peccatorum Deinde oravit patrem dicens Pater si fieri potest transeat a
me calix iste Et factus est sudor eius sicut gutte sanguinis decurrentis in terram
Posuit tamen voluntatem suam in voluntatem patris dicens Pater fiat voluntas
tua Non sicut ego volo sed sicut tu Cuius patris talis fuit voluntas ut filius eius
benedictus et gloriosus quem dedit nobis et natus fuit pro nobis Se ipsum per
proprium sanguinem suum sacrificium et hostiam in ara crucis offerret Non propter
se per quem facta sunt omnia sed pro peccatis nostris relinquens nobis exemplum ut sequamur
vestigia eius et vult quod omnes salvemur per eum et recipiamus ipsum puro corde
et casto corpore nostro Sed pauci sunt qui velint eum recipere et salvi esse per eum
licet eius iugum suave sit et onus ipsius leve Qui nolunt gustare quam suavis
sit dominus et diligunt tenebras magis quam lucem nolentes adimplere mandata
dei Maledicti sunt de quibus dicitur per prophetam Maledicti qui declinant a man-
datis tuis Sed o quam beati et benedicti sunt illi qui deum diligunt et faciunt sicut dicit
ipse dominus in evangelio Diliges dominum deum tuum ex toto corde et ex tota mente
et proximum tuum sicut teipsum Diligamus et adoremus eum puro corde et pura mente
quia ipse tales super omnia querens dixit Veri adoratores adorabunt patrem in
spiritu et veritate Omnes enim qui adorant eum in spiritu veritatis oportet eum adorare Et di-
camus ei laudes et orationes die ac nocte dicendo pater noster qui es in celis quia oportet nos
semper orare et non deficere Sed peccata confiteamur sacerdotibus Debemus siquidem
confiteri sacerdoti omnia peccata nostra et recipiamus corpus et sanguinem domini nostri ihesu

christi ab eo. Qui non manducat carnem suam et bibit sanguinem suum non potest intrare
in regnum dei. Digne tamen manducet et bibat, quia qui indigne recipit iudicium
sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus domini, id est non discernit. Faciamus
igitur fructus dignos penitentie. et diligamus proximos sicut nosipsos. Et si quis non vult
eos amare sicut seipsum, saltem non inferat eis mala, sed faciat bona. Qui autem
potestatem iudicandi aliquos receperunt, iudicium cum misericordia exerceant, sicut ipsi volunt misericordiam
a deo obtinere. Iudicium sine misericordia erit illis qui non fecerint misericordiam. Habeamus itaque carita-
tem et humilitatem. et faciamus elemosinam, quia ipsa lavat animam a sordibus peccato-
rum. Homines enim omnia perdunt que in hoc seculo relinquunt. secum tamen portant caritatis mercedem
et elemosinam quam fecerunt, de quibus habebunt a domino premium et dignam remunerationem.
Debemus etiam ieiunare et abstinere a viciis et peccatis et a superfluitate ciborum et potus
et katholici esse. Debemus etiam ecclesias visitare frequenter et venerari clericos et vereri.
Non tantum propter eos si sunt peccatores, sed propter officium et administrationem
sanctissimi corporis et sanguinis ihesu christi, quod sacrificant in altari et aliis administrant.
Et firmiter sciamus omnes quod nemo salvari potest nisi per sancta verba et sanguinem
domini nostri ihesu christi, que clerici dicunt, annunciant et ministrant. et ipsi soli ministrare
debent et non alii. Specialiter autem religiosi, qui renunciaverunt seculo, tenentur plura
et maiora facere et ista non dimittere. Debemus odio habere corpora nostra cum viciis et
peccatis, quia dominus dicit in evangelio: Omnia mala vicia et peccata a corde exeunt. De-
bemus diligere inimicos nostros et benefacere hiis qui nos odio habent. Debemus observare precepta
et consilia domini nostri ihesu christi. Debemus etiam nosmetipsos abnegare et ponere
corpora nostra sub iugo servitutis et sancte obediencie, sicut unusquisque promisit domino. Nullus
homo teneatur ex obediencia obedire alicui in eo ubi committitur delictum vel peccatum.
Cui autem obediencia commissa est et qui habetur maior, fiat sicut minor et aliorum fratrum
servus. et in singulos fratres suos misericordiam faciat et habeat quam vellet sibi fieri si in consimili
casu esset. Nec ex delicto fratris irascatur in fratrem, sed cum omni paciencia et humilitate
ipsum benigne moneat et sustineat. Non debemus secundum carnem sapientes esse
et prudentes, sed magis debemus esse humiles, simplices et puri. et habeamus corpora
nostra in opprobrium et despectum, quia omnes per culpam nostram sumus miseri et putri-
di, fetidi et vermes, sicut dicit dominus per prophetam: Ego sum vermis et non homo,
opprobrium hominum et abiectio plebis. Numquam debemus desiderare esse super alios, sed
magis debemus esse servi et subditi omni humane creature propter deum. Et omnes
illi et ille, dum talia fecerint et perseveraverint usque in finem, requiescet super eos
spiritus domini, et faciet in eis habitaculum et mansionem. et erunt filii patris celestis cuius
opera faciunt. et sunt sponsi, fratres domini nostri ihesu christi et matres. Sponsi sumus quando
spiritu sancto coniungitur fidelis anima ihesu christo. fratres eius sumus qui faciamus voluntatem

fratres eius qui in celo est. matres quando in corde et corpore nostro per amorem puram et si-
nceram conscienciam parturimus eum per sanctam operacionem que lucere debet aliis in exemplum
O quam gloriosum et sanctum et magnum est habere patrem in celis. O quam sanctum paraclitum pul-
chrum et admirabilem habere sponsum. O quam sanctum et dilectum beneplacitum humilem pacificum dul-
cem et amabilem et super omnia desiderabilem habere talem fratrem. qui posuit animam sua-
m pro ovibus suis et oravit pro nobis dicens. pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti
michi et verba que dedisti michi dedi eis. et ipsi acceperunt et cognoverunt vere quia a te exivi et crediderunt
quia tu me misisti. Rogo pro eis et non pro mundo benedic et sanctifica eos et pro eis sanctifico
me ipsum ut sint sanctificati in unum ut nos sumus. Volo pater ut ubi ego sum et illi sint mecum
ut videant claritatem meam in regno. Cui autem qui tanta sustinuit pro nobis. tot bona
contulit et conferet eciam in futurum omnis creatura que in celis et in terra in mari et in abyssis reddat laudes
deo. gloriam et honorem et benediccionem. quia ipse est virtus et fortitudo nostra. qui est solus bonus solus
altissimus. solus omnipotens admirabilis gloriosus et solus sanctus laudabilis et
benedictus per infinita secula seculorum. Amen. De penitencia et communione.

Omnes autem illi qui non sunt in penitencia et non recipiunt corpus et sanguinem domini nostri ihesu
christi et operantur vicia et peccata et qui ambulant post malam concupiscenciam
et mala desideria et non observant que promiserunt et serviunt mundo carnalibus
desideriis et curis et sollicitudinibus huius seculi et curis huius vite decepti a diabolo
cuius filii sunt et eius opera faciunt. ceci sunt quia verum lumen non vident dominum nostrum ihesum christum.
Sapienciam non habent spiritualem quia non habent filium dei in se qui est vera sapiencia patris. de quibus dicitur
Sapiencia eorum devorata est. vident agnoscunt et sciunt et faciunt mala et scienter perdunt
animas suas. Videte ceci decepti ab inimicis vestris a carne. mundo et diabolo. quia
corpori dulce est facere peccatum et amarum servire deo. quia omnia mala vicia et peccata
de corde hominum exeunt et procedunt sicut dominus dicit in ewangelio et nichil habetis
in hoc seculo neque in futuro. Putatis diu possidere vanitates huius seculi. sed decepti
estis. quia veniet dies et hora de quibus non cogitatis et nescitis et ignoratis. De infirmo qui male penitet

Infirmatur corpus mors appropinquat. veniunt propinqui et amici dicentes. dispone bona tua. Ecce uxor eius et filii
eius et propinqui et amici fingunt se flere. Et respiciens videt eos flentes
movetur malo motu cogitando intra se dicens. Ecce animam meam et
corpus meum et omnia mea pono in manibus vestris. Vere iste homo est maledictus qui confidit
et exponit animam suam et corpus et omnia sua in talibus manibus. Unde dicit dominus per prophetam. Male-
dictus homo qui confidit in homine. Et statim faciunt venire sacerdotem. Dicit ei sacerdos
vis recipere penitenciam de omnibus peccatis tuis. Respondit volo. vis satisfacere de commissis et in
que fraudasti et decepisti homines sicut potes de tua substancia. Respondit non. Et sacerdos dicit
quare non. Respondit omnia disposui in manibus propinquorum et amicorum. Et incipit perdere loquelam
et sic moritur ille miser. Sed sciant omnes quod ubicumque et qualitercumque homo moriatur in
criminali peccato sine satisfaccione et potest satisfacere et non satisfecisset. diabolus rapit animam eius
de corpore suo cum tanta angustia et tribulacione quanta nullus scire potest nisi qui recipit. et videt.

talenta et potentiam et scientiam quam putabat habere auferetur ab eo. Et propinqui et amici relinquunt et ipsi tollent et dividunt substantiam eius et dixerunt postea: Maledicta sit anima eius quia plus potuit dare nobis et acquirere quod non acquisivit. Corpus comedunt vermes et ita perdit corpus et animam in isto brevi saeculo et ibit in infernum ubi cruciabitur sine fine. Ego frater Franciscus minor servus vester rogo et obsecro vos in caritate quae Deus est et cum voluntate osculandi vestros pedes quod haec verba et alia domini nostri Ihesu Christi cum humilitate et caritate debeatis recipere et operari et observare. Et omnes illi et illae qui ea benigne recipient et intelligent et mittent aliis in exemplum et si in ea perseveraverint usque in finem benedicat eis pater / et filius et spiritus sanctus. Amen.

In nomine summae trinitatis et sanctae unitatis patris et filii et spiritus sancti. Amen. Reverendis et multum diligendis fratribus universis fratri N. generali ministro religionis minorum fratrum domino suo et ceteris ministris generalibus qui post eum erunt et omnibus ministris et custodibus et sacerdotibus eiusdem in Christo humilibus et omnibus fratribus simplicibus et obedientibus primis et novissimis frater Franciscus homo vilis et caducus vester parvulus servulus salutem in eo qui redemit nos et lavit in pretioso sanguine suo. Cuius nomen audientes adorate eum cum timore et reverentia proni in terram. Dominus Ihesus Christus altissimi filius nomen illi qui est benedictus in saecula. Amen. Audite domini filii et fratres mei et auribus percipite verba mea. Inclinate aurem cordis vestri et obedite voci filii dei. Custodite in toto corde vestro mandata eius et consilia eius perfecta mente implete. Confitemini ei quoniam bonus et exaltate eum in omnibus operibus vestris. Quoniam ideo misit vos in universo mundo ut verbo et opere detis testimonium voci eius et faciatis scire omnes quia non omnipotens praeter eum. In disciplina et obedientia sancta perseverate et quae promisistis ei bono et firmo proposito adimplete. Tamquam filiis offert se nobis dominus deus. Deprecor itaque omnes vos fratres cum osculo pedum et ea caritate qua possum ut omnem reverentiam et omnem honorem quantumcumque poteritis exhibeatis sanctissimo corpori et sanctissimo sanguini domini nostri Ihesu Christi in quo quae in caelis et quae in terris sunt pacificata sunt et reconciliata omnipotenti deo. Rogo etiam in domino omnes fratres meos sacerdotes altissimi. Quicumque missam celebrare voluerint puri pure faciant cum reverentia verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis domini nostri Ihesu Christi sancta intentione et munda non pro ulla terrena re neque timore vel amore alicuius hominis quasi placentes hominibus. Sed omnis voluntas quantum adiuvat gratia ad deum dirigatur ipsi soli summo domino inde placere desiderans quia ipse ibi solus operatur sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Si quis aliter fecerit Iudas traditor efficitur et reus fit corporis et sanguinis domini. Recordamini fratres mei sacerdotes quod scriptum est de lege Moysi quam transgredientes in corporalibus sine ulla miseratione per sententiam domini moriebantur. Quanto maiora et deteriora meretur pati supplicia qui filium dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est et spiritui gratiae contumeliam fecerit. Despicit enim homo polluit et conculcat agnum dei quando sicut dicit apostolus non diiudicans et discernens sanctum panem Christi ab aliis nutrimentis vel operibus vel indignus manducat vel etiam si esset dignus vane et indigne manducat cum dominus per prophetam dicat: Maledictus homo qui facit opus dei fraudulenter. Et sacerdotes qui noluerint hoc ponere super cor in veritate condempnat dicens: Maledicam benedictionibus vestris. Audite fratres mei: Si beata virgo sic honoratur ut dignum est quia ipsum portavit in sanctissimo utero, si beatus baptista contremuit et non audebat tangere dei vertice(m), si sepulchrum in quo per aliquod tempus iacuit veneratur, quantum debet esse sanctus iustus et dignus qui non iam moriturum sed in aeternum

vivificatio et glorificatio in quem desiderant angeli prospicere, contrectant manibus, corde et ore sumunt
et aliis ad sumendum praebent. Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, et estote sancti quia ipse sanctus est. Et sicut
super omnes propter hoc ministerium honoravit vos dominus deus, ita et vos super omnes ipsum diligite, re-
veremini et honorate. Magna miseria et miseranda infirmitas, quando sic ipsum praesentem habetis et
vos aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et caelum exsultet quando
sic super altare in manu sacerdotis est Christus filius dei vivi. O admiranda altitudo et stupenda dignatio.
O humilitas sublimis, o sublimitas humilis, quod dominus universitatis deus et dei filius sic se humiliat, ut pro nostra salute
sub modica panis formula se abscondat. Videte fratres mei humilitatem dei et effundite coram ipso corda vestra.
Humiliamini et vos ut exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis exhi-
bet totum. Moneo propterea et exhortor in domino, ut in locis in quibus fratres morantur una tantum missa celebretur in die secundum
formam ecclesiae sanctae. Si vero plures in loco fuerint fratres sacerdotes, sit per amorem caritatis alter contentus auditu celebrationis
alterius sacerdotis. Quia absentes et praesentes replet qui eo digni sunt dominus Iesus Christus, qui licet in pluribus locis
inveniatur, tamen indivisibilis manet et aliqua detrimenta non novit, sed unus ubique sicut ei placet operatur
cum domino deo patre et spiritu sancto paraclito in saecula saeculorum. Amen. Et quia qui est ex deo verba dei audit,
debemus proinde nos qui specialius sumus divinis officiis deputati, non solum audire et facere quae dicit deus,
verum etiam ad insinuandum in nobis altitudinem creatoris nostri et in ipso subiectionem nostram vasa et officialia
cetera custodire quae continent verba sua sancta. Propterea moneo fratres meos omnes et in Christo conforto, ut ubicumque inve-
nerint divina verba scripta, sicut possunt venerentur, et quantum ad eos spectat, si non sunt reposita bene vel inhoneste
iaceant in loco aliquo dispersa, recolligant et reponant, honorantes in sermonibus dominum quae locutus est. Multa enim
sanctificantur per verba dei, et in virtute verborum Christi altaris conficitur sacramentum. Confiteor patri domino deo patri
et filio et spiritui sancto et beatae Mariae perpetuae virgini et omnibus sanctis in caelo et in terra, fratri
H. ministro religionis nostrae sicut venerabili domino meo, et sacerdotibus ordinis nostri, et omnibus aliis fratribus meis
benedictis omnia peccata mea. In multis offendi mea gravi culpa, specialiter quia regulam quam domino
promisi non servavi, nec officium sicut regula praecipit dixi, sive negligentia, sive infirmitatis meae
occasione, sive quia ignorans sum et idiota. Ideo per omnia sicut possum rogo fratrem H. generalem dominum
meum ministrum, ut faciat regulam ab omnibus inviolabiliter observari, et quod clerici dicant officium cum devotione
coram deo, non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens vero
concordet cum deo, ut possint per puritatem cordis placere deo, et non cum lascivia vocis
aures populi demulcere. Ego enim promitto haec firmiter custodire, sicut dominus dederit mihi gratiam,
et haec fratribus qui mecum sunt observanda tradam in officio et ceteris regularibus consti-
tutis. Quicumque autem fratrum haec observare noluerint, non teneo eos catholicos nec fratres meos.
Nolo etiam videre ipsos nec loqui, donec poenitentiam egerint. Hoc etiam dico de omnibus aliis
qui vagando vadunt postposita regulae disciplina, quia dominus noster Iesus Christus dedit
vitam suam, ne perderet sanctissimi patris obedientiam. Ego frater Franciscus homo in-
utilis et indigna creatura domini dei, dico propter dominum Iesum Christum fratri H. ministro
totius religionis nostrae, et omnibus generalibus ministris qui post eum erunt, et ceteris
custodibus et guardianis fratrum qui sunt et erunt, ut hoc scriptum apud se habeant, operentur
et studiose reponant. Et exoro ipsos ut quae scripta sunt in eo sollicite
custodiant et faciant diligentius observari secundum beneplacitum omnipotentis dei, nunc et semper donec fuerit
mundus iste. Benedicti vos a domino qui feceritis ista, et in aeternum dominus sit vobiscum. Amen.

Omnipotens aeterne iuste et misericors deus, da nobis miseris propter temetipsum facere
quod scimus te velle, et velle quod tibi placet, ut interius mundati, interius illuminati, et igne spiritus sancti
accensi, sequi possimus vestigia dilecti filii tui domini nostri Iesu Christi, et ad te, altissime, sola tua
gratia pervenire, qui in trinitate perfecta et unitate simplici vivis et regnas et gloriaris deus omnipotens per omnia saecula saeculorum. Amen.

De reuerencia corporis domini et de mundicia altaris etc.

Attendamus omnes clerici magnum peccatum et ignoranciam quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem domini nostri Ihesu Christi et sacratissima nomina et verba eius ibi scripta que sanctificant corpus. Scimus quia non potest esse corpus nisi prius sanctificetur a verbo. Nichil enim habemus et videmus corporaliter in hoc seculo de ipso altissimo nisi corpus et sanguinem nomina et verba per que facti sumus et redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima ministeria considerent intra se maxime hii qui indiscrete ministrant quam viles sint calices corporalia et linteamina ubi sacrificatur corpus et sanguis domini nostri Ihesu Christi. Et a multis in locis vilibus relinquitur miserabiliter portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur. Nomina et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur quia animalis homo non percipit ea que Dei sunt. Non mouemur de hiis omnibus pietate cum ipse pius dominus in manibus nostris se prebeat et eum tractemus et sumamus cottidie per os nostrum. An ignoramus quia debemus venire ad manus eius. Igitur de hiis omnibus cito et firmiter emendemus et vbicumque fuerit sanctissimum corpus domini nostri Ihesu Christi illicite collocatum et relictum removeatur de loco illo et ponatur in loco precioso et consignetur. Similiter nomina et verba sic domini vbicumque inveniantur in locis immundis colligantur et in loco honesto debeant collocari. Et scimus quia hec omnia tenemur super omnia obseruare secundum precepta domini et constituciones sancte matris ecclesie et qui hec non fecerit sciat se coram domino nostro Ihesu Christo in die iudicii reddere racionem. Hoc scriptum ut melius debeat obseruari sciant se benedictos a domino deo qui ipsum fecerint exemplari etc.

Regina sapiencia dominus te saluet cum tua sorore sancta pura simplicitate. Domina sancta paupertas dominus te saluet cum tua sancta humilitate. Domina sancta caritas dominus te saluet cum tua sorore sancta obediencia. Sanctissime virtutes omnes vos saluet dominus a quo venitis et proceditis. Nullus homo est penitus in isto mundo qui vnam ex vobis possit habere nisi prius moriatur. Qui vnam habet et alias non offendit omnes habet et qui vnam offendit nullam habet et omnes offendit et vnaquequeque confundit vicia et peccata. Sancta sapiencia confundit sathan et omnes malicias eius. Pura sancta simplicitas confundit omnem sapienciam huius mundi et sapienciam corporis. Sancta paupertas confundit cupiditatem et avariciam et curas huius seculi. Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines qui sunt in mundo et omnia que in mundo sunt. Sancta caritas confundit omnes diabolicas et carnales temptaciones et omnes carnales timores. Sancta obediencia confundit omnes corporales et carnales voluntates et habet mortificatum corpus suum ad obedienciam spiritus et ad obedienciam fratris sui et est subdita et supposita omnibus hominibus qui sunt in mundo et non tantum solis hominibus sed etiam omnibus bestiis et feris ut possint facere de eo quicquid voluerint quantum fuerit eis datum desuper a domino.

Auit quidam miles fortis et multas habuit victorias cum postea factus est frater minor. Et cum deriderent eum milites quia intrauit talem ordinem cum potius intrasset ad templarios et huiusmodi vbi posset plura bona facere et exercere in bello respondit dico vobis quando habeo sitim famem et frigus et huiusmodi adhuc cum hoc impugnant me motus superbie et concupiscencie et huiusmodi quanto magis si vicerem pedibus meos seruos et essem super equum pulchrum et huiusmodi. Et addidit hactenus nimis fui fortis alios impugnando de cetero volo esse fortis meipsum impugnando. Ad laudem domini nostri Ihesu Christi et gloriose virginis Marie matris eius regine celi. Amen etc.

Explicit epistolium beati Francisci Minorum